BRUNO DE SEGNI

Oberitalien, 1. Hälfte 14. Jh.

Seite 76r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

licet. Ego quidem duos dies duo testamenta intel
ligo in quibus nimirum hec carnes comeduntur.
Quia eorum revelatione illuminatione atque doctrina et
creduntur et intelliguntur. Primus enim dies
liber iste est qui nos modo ista docet. Quo docente
Moyses et Aaron et multi alii Christi carnem comederunt.
Secundus vero dies evangelium est in quo multo manife
stius Christus immolatur et creditur manducatur et bibi
tur. Veniamus nunc ad tertium diem sed non come
damus in eo non credamus ei quia tenebrosus est.
sine sole et lumine est, cecus totus et erroneus
est. Per hunc enim pravam hereticorum doctrinam in
telligimus. in qua multe de Christo sonant blas
phemie. Si quis ergo secundum hanc doctrinam Christum im
molavit crediderit et comederit nichil ei prode
rit. Quin potius quecumque anima tali se edulio contami
naverit et hiis credendo erraverit prevaricationis
rea erit. Talis enim dies Berngarius quidam fuit
qui de Christi corpore et sanguinem philosophice
disputando ad inpossibilia nos ducebat. Nos
tamen quod de Christo non comprehendimus igne spiritus et carita
tis assumimus et non tantum argumentis quam sanctorum
fidei et auctoritatibus credimus. Unde et hic dicitur
quicquid autem tertius invenerit dies ignis assumetur.
In quibus enim hereticis ratione et argumentis resistere
non possumus fide et auctoritate et caritatis
igne resistimus. Sequitur.

Caro que aliquid tetigerit immundum non
comedetur sed comburetur igni qui fue
rit mundus non vescetur ex ea. Qui enim hereticis
crediderit non in ecclesie corpus traicietur sed igni
eterno comburetur. Quid enim sit immundum tan
gere satis iam superius expositum est. Anima
polluta que ederit de carnibus hostie pacificorum
que oblata est domino peribit de populis suis. et que
tetigerit immunditiam hominis vel iumenti sive omnis
rei que pollui potest et comederit de huiusmodi
carnibus interibit de populis suis. Hoc enim apostolus
breviter exposuit dicens. Qui enim manducat
et bibit indigne iudicium sibi manducat et
bibit non diiudicans corpus Christi. Breviter
exponimus quia vigilantibus loquimur et solis ma
sculis de genere Aaron hec tradere disposuimus.

Locutusque est dominus ad Moysen dicens. Lo
quere filiis Israel. Adipem bovis et ovis
et capre non comedetis. Adipem cadaveris morti
cini et eius animalis que a bestia captum est habebitis
in usus varios. Si quis adipem qui offerri de
bet in incensum domini comederit peribit de popu
lo suo. Sanguinem quoque omnis animalis non su
metis in cibum tam de avibus quam de pecoribus.
Omnis anima que comederit sanguinem peribit de
populis suis. Hec autem quamvis superius sufficienter
exposita sunt pauca tamen de eis dicamus. Hic etiam
non de adipe carnis sed de anime adipe dicere vide
tur. Anime autem adeps atque pinguedo sapientia fides
caritas ceterique virtutes sunt. Pinguis enim est
illa anima que hiis habundat. Sicut econtra
rio macra est que ista non habet. Sanguis autem
pro anima ponitur quoniam sedes anime sanguis est. Nunc
dicat igitur dominus adipem et sanguinem comedere secundum
illam significationem qua dicitur Quia comede
runt Iacob. Hic enim comedere quid aliud est
nisi persequi perdere et occidere. Magnum igitur pec
catum est adipem et sanguinem comedere. Adipem autem
morticini et a bestia capti animalis in varios
usus habere licet. quia hereticorum et philosophorum
scientia sepe nobis in multis utilis est. Sepe enim no
bis Aristotelis Prisciani et Origenis scientia ne
cessaria est. Sequitur.

Qui offert victimam pacificorum domino offe
rat simul et sacrificium id est libamenta eius.
Tenebit manibus adipem bestie et pectusculum.
Cumque ambo oblata domino consecraverit tradat
sacerdoti qui adolebit adipem super altare. Pec
tusculum autem erit Aaron et filiorum eius. Paci
ficorum enim est omnis victima qua deum nobis paci
ficamus. Libamenta vero omne azimum intelligimus.
Non igitur sine libamentis pacificorum victima
offeratur. quia non prodest hostia que oblata
non fuerit in azimis sinceritatis et veritatis.
Sed quid est quod adipem atque pectusculum quod
homo deo consecravit et devovit sacerdoti dominus
tradere iubet. Vult enim dominus ut pectora nostra
sacerdotibus demus et aperiamus quatenus eorum
consiliis et doctrina repleantur. Demus eis et adi
pem nostrum confiteamur eis peccata nostra dicamus
quid male pinguis lasciviendo fecerit caro
nostra. Ipsorum enim est adolere adipem. ipsorum est in
cendere et delere peccata.

Armus quoque dexter de pacificorum hostiis
cedet in primitias sacerdotis. Qui obtu
lerit adipem et sanguinem filiorum Aaron ipse ha
bebit armum dextrum in portione sua. Pectu
sculum enim elationis et armum separationis
tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis et dedi
Aaron sacerdoti ac filiis eius lege perpetua ab
omni populo Israel. Ideo enim armus dexter sacer
dotibus datur quoniam fortes esse debent ad aliorum
ferenda peccata. Datur eis et pectusculum quoniam